



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XIV. Adfertur traditio Patrum de descensu Christi ad inferos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

## CAPVT XIV.

*Adfertur traditio Patrum de descensu Christi ad inferos.*

**N**UNC id ipsum, quod ex Scripturis probauimus, ex Patrum traditione breuiter confirmabimus. Ac PRIMVM habemus SYMBOLVM Apostolorum ab hæreticis receptum, vbi post expressam sepulturam habetur: *Descendit ad inferos*; Non sunt ergo vnum & idem sepeliri, & descendere ad inferos. Nec potest dici posteriorem sententiam esse repetitionem prioris, nam Symbolum est compendium fidei breuissimum, in quo summum vitium esset aliquid repeti. Nec potest esse posterior sententia explicatio prioris, quia explicaretur notum per ignotum.

Præter Symbolum, habemus duo Concilia. nam TOSTANVM IV. cap. 1. sic ait: *Descendit ad inferos, ut animas, quæ illic tenebantur, erueret.* Et LATERANENSIS sub Innocentio III. cap. 1. *Descendit, inquit, ad inferos, regressus à mortuis, ascendit in cælum: sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit pariter in vitroque.*

Præterea omnes Patres hoc docent. THADDÆVS discipulus Domini apud Eusebium lib. 1. hist. cap. vlt. prædicans fidem Christi, inter alia hæc dicit: *Descendit ad inferos, & dirupit maceriem, quam in seculo nemo diruperat, & descendit quidem solus, ascendit autem cum grandi multitudine.* Hæc de sepulcro intelligi nequeunt, neque enim corpus in sepulcro dirupit maceriem, nec inde ascendit cum multitudine; Loquitur igitur Thaddæus de descensu ad inferos, vnde sanctorum Patrum multitudo cum Christo ascendit.

IGNATIVS in epistola ad Trallianos: *Verè, inquit, nos hominum opinione crucifixus & mortuus est, & identidem caelestibus, terrenis, & iis qui sub terra detinebantur. Item: Descendit ad infernum solus, regressus autem cum multitudine.* IUSTINVS in Dialogo cum Triphone conqueritur à Iudæis abrasum testimonium Hieremiæ, vbi dicebatur Dominus descendisse ad inferos, vt liberaret mortuos suos.

IRENÆVS

IRENAEVS lib. 5. in fine: Dominus, inquit, legem mortuorum seruauit, & fieret primogenitus à mortuis, & commemoratus & que in diem tertiam in inferioribus terra, &c. Et ne dicant hinc agi de sepulcro, subdit: Cum Dominus in medio Umbrae mortis abierit, & ibi anima mortuorum erant, &c. CLEMENS lib. 6. Stromat. Prædicauit, inquit, iis Dominus, qui erant apud inferos. At certè corpus in sepulcro non prædicauit.

ORIGENES hom. 15. in Genes. Unigenitus, inquit, Filius pro salute mundi & que ad inferna descendit, & inde prooplastum reuocauit. Quod enim dicit ad latronem; Hodie mecum eris in paradiso, non hoc illi soli dictum, sed etiam omnibus Sanctis dictum intellige, pro quibus in inferna descenderat. Vide eundem lib. 2. contra Celsum, & lib. 5. in epist. ad Roman.

EUSEBIUS lib. 4. demonstrat. Euang. cap. 12. Usque ad mortem, inquit, atque & que ad ipsos mortuos, leges caritatis ipsum uocabant, & eorum quoque qui antea mortui erant, animas reuocaret. CYRILLVS Hierosolymitanus catechesi quarta, postquam dixerat de sepultura, subiungit: Descendit ad inferos, & illinc iustos liberaret, &c. Vide etiam catechesim 14.

ATHANASIUS in lib. de incarnat. qui incipit; Mos p̄i hominis, ultra medium: Credite, inquit, animam interiorem hominem esse, quoniam id & à prima plasmatione ostenditur, & à secunda dissolutione monstratur, cum non solum nobis, sed etiam in Christi corpore id pateat, corpore non ultra sepulcrum delato, animam ad inferos penetrante, locis ingenti interuallo discriminatis, sepulcro quidem id quod corporeum erat recipiente, inferno uero id quod incorporeum fuit, &c. Et infra docet, Christum descendisse ad inferos, ut animas liberaret.

BASILIVS in Psal. 44. exponens illud: Myrrha & gutta, & castia. Itaq; inquit, Christi fragrantiam myrrha quidem spirat propter passionem: stacten uero propterea quod non immobilis, neq; inefficax, & ociosus mansit tribus noctibus, & descendit ad infernum gratia dispensationis circa resurrectionem, & uniuersa seipso implet. Et infra: Habes igitur myrrham propter sepulturam, stacten propter descensum ad inferos.

infernus. Et in Psalm. 48. exponens illa verba; *Deus redimet animam meam de manu inferi: Manifestè, inquit, Satinatur Domini ad inferos descensum, qui cum aliis etiam istius animam redimat, ne illic maneat.*

GREGORIUS Nyssenus orat. 1. de resurrectione Christi, ante medium: *Vultis, inquit, aliquid de tridui tempore scire? sufficit tantum didicisse, quòd cum Dominus, omnipotens sapientia, in tam exiguo temporis spacio fuisset in corde terra, quod est mentis illius (Diaboli) domicilium, magnam illam mentem, qua in eo habitat, potuit decipere, atque infatuare. Et infra, loca subterranea vocat cor terra, ubi sedes est Diaboli.*

GREGORIUS Nazianzenus orat. 2. de Paschate, non procul à fine: *Si in infernum descendat, inquit, simul descendat, et quoque mysteria cognosce, qua Christus illic designavit. Et ibidem proponit questionem, nec soluit; An Christus omnes ex inferno eduxerit, an tantum aliquos.*

EPIPHANIUS in Ancorato, ante medium, pag. 340. *Dicitur, inquit, inter mortuos liber. Liber significat, infernum non obtinuisse in ipsum imperium, verum propria voluntate ad infernum ipsum descendisse cum anima. Vide etiam hæresi 46. quæ est Tatiani, ubi dicit Christum ad inferos descendisse, ut animam Adami, & aliorum Patrum liberaret. CHRYSOSTOMUS homil. 2. de Symbolo, postquam exposuerat sepulturam, subiungit: *Descendit ad inferna, & ibi à miraculo non & caret.**

CYRILLUS lib. de recta fide ad Theodosium, circa medium: *Anima, inquit, ad verbum copulam, & Unionem sortita, descendit quidem ad infernum divina virtute, & potestate utens, etiam spiritibus, qui illic erant, apparuit, & dicebat compeditis, Egredimini, & iis, qui in tenebris, & velamentis erant, cum carne conuersatus est, ita & animabus in inferno predicauit, animam habens sibi unitam in qua fuit. Vide etiam lib. 12. in Ioan. cap. 36.*

THEODORETUS in Psalm. 15. ex illo Psalm. *Non relinques animam meam in inferno*, dicit, euidenter Aesellium, & Apollinarem, qui dicebant Christum non assumpsisse animam. DAMASCENUS libro tertio de fide, cap. 17.

Ult. Descendit, inquit, in infernum anima deificata, et quem-  
admodum is, qui in terra, iustitia ortus est Sol, sic & is,  
qui sub terra in tenebris, & Umbra mortis sedebant, lux re-  
fulgeret.

Ex Latinis. TERTULLIANVS in libro de anima, cap.  
31. Nobis, inquit, inferi non nuda cauositas, nec subsualis ali-  
qua mundi sentina creduntur, sed in fossa terra, & in alio  
vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas. si-  
quidem Christum in corde terra triduum mortis legimus ex-  
punctum, id est, in recessu intimo, & interno, & ex ipsa terra  
aperto, & intra ipsam clauso, & inferioribus adhuc abyssis  
substructo. Et cap. 32. Si Christus descendit in inferiora ter-  
rarum, et illic Patriarchas & Prophetas copotes sui faceret,  
habet & regionem inferorum subterraneam credere.

HYPOLITVS Martyr in oratione de Antichristo, initio:  
Beatam, inquit, in cruce passionem, sepulturam eius, descen-  
sum ad inferos, ascensum, redemptionemq; animarum, &c.  
CYPRIANVS sermone de vnctione Chrismatis, in fine:  
Passus est Rex illudi, inquit, & vita occidi, descendensq; ad  
inferos, captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit. Similia  
habet sermone sequente.

HILARIUS in Psalm. 138. in illud: Si descendero in in-  
fernum, ades. Humana, inquit, ista lex necessitatis est, ut se-  
pultis corporibus, anima ad inferos descendant, quam de-  
scensionem Dominus ad consummationem veri hominis non  
recusauit. Et libro 10. de Trinitate ultra medium: Nun-  
quid descendisse ad inferos corpus, quod in sepulcro iacuit,  
diceretur?

PHILASTRIUS in libro de hæresibus, capit. de descen-  
su ad inferos, dicit errare eos, qui putant descendente Chri-  
sto ad inferos, liberatas fuisse animas Poëtarum, & Philo-  
sophorum, & similibus infidelium, & addit: Nam si Deum  
esse credidissent, Deorum, & Dearum turpia nomina non  
feminassent, descensione Christi ad infernum veniam me-  
ruissent.

GAUDENTIUS Tract. 6. de Exodo: Nocte, inquit, qua,  
corpus exanime relinquens in cruce, Dei Filius transiit cum  
anima ad Aegyptum inferiorem, et animas in inferno posi-  
tas visitaret, &c.

PRVDENTIVS in hymno 9. *ἡ. Ἰμπεριών.*

*Quin & ipsum, ne salutis  
Inferi expertes forent,  
Tartarum benignus intrat,  
Fracta cedit ianua, &c.*

Et hymno primo:

*Inde est quod omnes credimus,  
Illo quietis tempore,  
Quo gallus exultans canit,  
Christum rediisse ex inferis.*

AMBROSIVS libro 3. de fide, cap. 3. *Liber, inquit, est qui  
mortis vincula nesciuit, non captus ab inferis, sed sine adu-  
torio est, qui non per nuncium, neque per legatum, sed ipse  
per se Dominus saluum fecit populum suum.* Vide etiam de  
mysterio Paschæ, capite 4. & in cap. 10. ad Roman. & cap. 4.  
ad Ephes.

HIERONYMVS in cap. 4. ad Ephes. *Inferiora terre, in-  
quit, infernus accipitur, ad quem Dominus noster, Saluator  
que descendit, et Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur in-  
clusa, secum ad cælos Victor abduceret.* Similia clarissime do-  
cuit in 3. cap. Eccles. & in 9. Zachar.

RUFFINVS in explicatione Symboli sic loquitur: *Sed  
& Ioannes dicit; Tu es qui venturus es, in infernum sine  
dubio, an alium expectamus? Et infra: Rediit ergo Victor à  
mortuis, inferni spolia secum trahens, eduxit enim eos qui te-  
nebantur à morte.*

AVGVSTINVS epist. 57. ad Dardanum, q. 1. *Neque, in-  
quit, ipso die in cælo futurus erat homo Christus Iesus, sed in  
inferno secundum animam, in sepulcro autem secundum car-  
nem.* Epist. 99. *Quis ergo nisi infidelis negauerit fuisse apud  
inferos Christum? Et ne per inferos intelligamus sepulcrum,  
subiungit infra: Secundum animam eum fuisse apud inferos,  
apertè Scriptura declarat.* Tract. 78. in Ioan. *Quis non est de-  
relictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis re-  
surrecturus triduo iacuit in sepulcro? Christus Iesus, sed in  
carne sola.* Vide etiam lib. 17. ciuit. Dei, cap. 11. & lib. 20. cap.  
15. & in Psalm. 85.

LEO ferm. 1. de resurrectione Domini: *Resurrectio, in-  
quit, Saluatoris nec animam in inferno, nec carnem diuini-  
tatis*

rari passa est in sepulcro. FVLGENTIVS in lib. 3. ad Thrasimundum, cap. 23. *Quam tamen carnem nec in morte diuinitas deseruit, sicut nec in inferno animam dereliquit.* Et cap. 35. *Sciebat quod ille susceptor pleni hominis Deus, totus esset cum carne sua in sepultura, totus cum anima sua in inferno.*

VIGILIUS Martyr lib. 2. contra Eutycheten: *Caro, inquit, ipso die non fuit in paradiso, nec in inferno, sed exanimis iacuit in sepulcro: anima per illud triduum in inferno, non in sepulcro.*

ARATOR Subdiaconus lib. 1. in Act. Apost. tractans cap. 2. *Pauis, inquit, resplenduit Umbra.*

*Pallida regna petens, propria quem luce coruscum*

*Non potuit fuscare chaos, fugere dolores,*


*Infernus tunc esse timet, &c.*

GREGORIUS lib. 13. moral. cap. 20. *Dum conditor ac redemptor noster in claustra inferni penetrans electorū exinde animas eduxit, nos illò ire non patitur, unde iam alios descendendo liberauit.* Vide etiam cap. 21. & expositionem Psalmi, *De profundis.* BEDA lib. 3. in Iob, cap. 7. *Hoc dixisse, inquit, Dominum puto, quod circa finē seculi pro redemptione hominis esset ad inferos descendurus, & ibi pro potestate descendenti deambulasse dicitur, quia impossibile erat, ut quasi reus peccati infernalibus vinculis teneretur.*

Habemus igitur consensum Patrum, qui ante annos, ut minimum octingentos floruerunt, quos certè, stultissimi sumus, si non paucis recentioribus hæreticis prætulimus.

### CAPVT XV.

*CHRISTVM proprie, ac re ipsa descendisse ad inferos.*

 **V**ARTVS error est DVRANDI in 3. d. 22. q. 3. ubi docet Christi animam descendisse ad inferos nõ secundū substantiam suam, sed per effectus quosdam, quia nimirum beatificauit & illuminauit sanctos Patres, qui erāt in lymbo. tale aliquid de profectiōne Christi ad animas sanctorum Patrum, per efficaciam, nõ per essentiam, docuit CALVINUS, ut superiore distinctione indicatum est.